DE

CODICIS VERONENSIS IN EMENDANDIS LIVII LIBRIS AUCTORITATE.

DISSERTATIO
INAUGURALIS PHILOLOGICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE
GRYPHICA

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

DIE III. MENSIS MAII ANNI MDCCCLXXIII

H. XII.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

ALBERTUS WODRIG

POMERANUS.

ADVERSARII ERUNT:

M. BEERMANN, CAND. IUR.
K. W. MOELLER, STUD. PHIL.
P. v. BOLTENSTERN, STUD. PHIL.

GRYPHISWALDIAE.
TYPIS FRID. GUIL. KUNIKE, ACAD. TYPOGR.
MDCCCLXXIII.

ADOLFO KIESSLING

S.

Etsi vereor, ne turpe sit in ipso operis suscepti limine pedem quasi referre, parumque aut fidens mihi aut providens esse videar, si iis quae disserturus sum ipse tamquam fundamenta subtraxerim: tamen propter huius tirocinii mei atque in novo genere periculi rationem spero fore ut cum bona venia legantur quae, quamquam aliena ab ipsa re, pauca sum praefaturus. Atque omnium primum praecautum mihi velim ab opinione iuvenilis arrogantiae, quae video quam facile praeberi possit legentibus ea, quae Mommsenus in editione sua codicis Veronensis Liviani (Berolini 1868.) p. 185. dicit: 'Hoc a meo incepto non abhorret componere meliora et graviora, quae quidem intellegam a codice Veronensi suppeditari. Pertractare autem eiusmodi quaestionem et quantum nostrae aetati datum est absolvere cum unus homo possit ex iis qui hodie sunt Madvigius, hoc optamus, ut telam a nobis incohatam et retexat, ubi opus est, et detexat'. At ego cum me ad codicem Livianum antiquissimum perscrutandum conferrem id attendebam, ut undecunque mihi, praeter illa quae Mommsenus enotaverat (p. 185—205.), aliquid ad emendanda Livii verba qualia vulgo traduntur redundare videretur, êa, quantum possem, omnia componerem: non quo me hanc rem perficere atque absolvere posse arbitrarer, sed quia quinquennio iam fere interposito, ex quo Mommsenus primus Veronensem librum accurate religioseque descriptum ediderat, nemo eum dedita opera examinare instituit. Et sane consentaneum est, profligare hanc quaestionem et ad exitum

perducere si quemquam certe Madvigium posse; neque facile quisquam erit, — nisi qui prava opinione et obtrectatione malevolorum ducti certis quibusdam destinatisque sententiis quasi addicti et consecrati sunt, — qui de meritis laudibus huius viri cum in omni genere literarum latinarum tum in arte critica factitanda eximii, in emendandis vero Livii libris paene singularis quidquam detractum velit*). Itaque ego 'telam a Mommseno incohatam' non detexendam sed pro hac tenui infirmaque parte contexendam suscepi, satis habiturus aliqua saltem ad emendanda Livii verba contulisse; neque me quantum profecerim, si modo profecero, unquam paenitebit.

Iam vero priusquam illa conor attingere, exponendum breviter erit de codicum manuscriptorum, quibus Livii librorum prima decas continetur, stirpibus et cognationibus (cf. Madvigii Emend. Liv. p. 4.). Sunt autem duo genera codicum: alterum eorum librorum, qui ducti sunt ex codice, quem Nicomachi duo, Flavianus et Dexter, et Victorianus quinto fere saeculo post Chr. n. recognitum emendarunt, atque ex eo numero optimi sunt, qui quidem hodie exstant, libri Mediceus et Parisinus, Leidensis primus et Harleianus et Florentinus St. Marci; ex altera stirpe librorum ex parte superstes est solus codex rescriptus Veronensis (lib. III — VI.) et ipse satis antiquus (cf. Momms. p. 176. et 158.). Itaque et ubi Veronensis liber omnino

*) De Madvigii praeclarissimo illo Emendationum Livianarum libro quam inique ac perverse a nonnullis iudicatum sit, satis erit comprobasse exemplo Kühnastii, qui synt. Liv. p. 232. et not. 143. Madvigii mutationes plerumque supervacaneas atque hoc omne genus crisis hariolantium esse dicit. Quod equidem non video quomodo facilius possit refelli, quam enumeratis iis locis, quibus mutationes et coniecturae a Madvigio sive in editione sive in Emendationibus Livianis propositae Veronensi libro aut omnino comprobantur aut ita confirmantur, ut Madvigium vitium recte sensisse et a vera medela proxime afuisse appareat. Sunt autem hi loci: III, 8, 7. 21, 2. 24, 5. 62, 3. 64, 3. 65, 6. 67, 6; IV, 8, 2. 13, 8. 21, 7. 24, 7. 34, 4. 56, 13; V, 9, 1. 32, 3. 39, 11. 44, 1. 45, 7. 46, 2. 55, 1.

dissentit a libris alterius familiae, videndum erit, num ille verum aut vestigium aliquod veri servarit; neque in dissensu codicum Nicomachianorum exiguum momentum accedet ei, a cuius partibus liber Veronensis steterit. Atque in hoc quidem genere praemonere libet recentiores Livii apud nostrates editores, Weissenbornium Hertziumque, inconstantia quadam iudicii in aestimanda codicum auctoritate subinde lapsos esse: namque haud raro Medicei libri scripturas praetulerunt consensui Parisini et Leidensis, quibus cum fere adstipuletur liber Veronensis, illi viri vel magis convincuntur erroris (cf. IV, 33, 10. 34, 3. 56, 1; V, 3, 4. 45, 3. 50, 7). Ubi vero a consensu Nicomachianorum librorum Veronensis discedit, scriptura eius probari non poterit, nisi suffragante aut sententiae ratione aut consuetudine sermonis Liviani, et ea praecipue primae decadis, ut quae a ceteris libris non leviter abhorreat (cf. Wölfflin: Livianische Kritik und Livianischer Sprachgebrauch p. 29.); certissima autem emendatio erit, si utrumque simul inciderit. — Postremo dicendum est de aliquot locis a Mommseno me dissentire, idque eo confidentius facio, quia ipse Mommsenus non id egit, 'ut complecteretur quidquid ex fonte iam patefacto in crisin Livianam redundaturum esset' (cf. Momms. p. 185). Neque ego non suscipiendum putavi patrocinium codicis Veronensis, siquidem de eo libro, quem ipse tamquam parens in lucem prodidit, Mommsenus, ante omnia, opinor, indulgentiae, — quae ei ut humana facile ignosci posset, — veritus suspicionem, aliquoties iniquius iudicasse videtur (cf. III, 51, 10; III, 6, 6. V, 51, 4; V, 28, 4. V, 52, 17; VI, 2, 11). — His igitur praemissis iam ad singulos locos tractandos accedam.

III, 6, 5. (Socii) *responsum tulere, — urbem Romanam — morbo populari; si qua eius mali quies veniat, ut semper alias opes laturos.*

Sic Veronensis, *opem laturos* Nicomachiani. Utrique omittunt voculam *se*, pronomen referendum ad subiectum orationis obli-

quae. Quod quamquam recte monuit Kühnastius (Syntaxis Livianae p. 108.) in participio futuri activi a Latinis non desiderari, tamen neque inter eos locos, quos ille attulit, ullum, neque alium usquam inveni quin ita sit comparatus, ut *se* pronomen aut in longiore oratione obliqua prius quam omittatur identidem ponatur (XXVII, 45, 4.), sive quamquam alio casu usurpatum non longe absit (XXII, 50, 4.); aut ex aliquo verbo proxime praecedenti, in quo insit subiectum enuntiati, facillime suppleatur (velut I, 58, 4. II, 47, 10. VII, 15, 2. VIII, 16, 7. XXI, 34, 2.) Quorum nihil in nostrum locum cadit: namque et tota oratio obliqua apta est ex his verbis *socii responsum tulere*, unde ad laturos *se* (i. e. Romanos) audiri non potest, et quae proxime antecedunt, haec sunt: *urbem Romanam — morbo populari*, quibus apte adiungi poterat *opem laturam*, *laturos* non nisi duriore orationis forma propter nimiam synesis, quae vocatur audaciam. Itaque nihil restat, nisi ut illud *opem laturos* perinde intelligamus, ac si supra dictum sit *legatis responderunt Romani*, et ad Romanos referamus, manente tamen eadem omissi pronominis *se* offensione. Atqui, cum nunquam dicatur 'opes ferre', semper 'opem ferre', nihil potest facilius cogitari, quam scripturam libri Veronensis *opes laturos* ortam esse ex *opẽ se laturos*, omissa primo compendii nota, deinde litera *e*. Legendum igitur: '*ut semper alias sociis opem se laturos*'. — Simili modo videtur ortum esse quod nunc legitur in codice Veronensi V, 32, 4: *moenibus armatos tutabantur*, cum in reliquis insit: *moenibus armati se tutabantur*. Nam cum semel neglegentia librarii excidisset *e* litera, post sententiae gratia pro *armatis* scribebatur '*armatos*.'

III, 6, 6. *Discessere socii pro tristi nuntio tristiorem domum reportantes*. Sic Veronensis, cum in reliquis libris pro '*reportantes*' sit '*referentes*.' Quam lectionem equidem non intellego cur Mommsenus p. 181. inseruerit iis locis, ubi is qui Veronensem codicem exaravit 'rariora et exquisi-

tiora, quae ipse non assequeretur, audacius nescias an ineptius immutaverit'. Neque enim raro exquisiteque dicitur '*referre nuntium*', et si quidquam aliud, certe hic proprie videtur dici '*reportari nuntius*', quia reportandi vocabulo semper subicitur notio relatae aut gravis rei sive molestae sive laetae atque exoptatae (I, 34, 10: *spes cogitationesque secum portantes*), aut rei cum contentione quadam et certamine adipiscendae (velut '*reportare victoriam*'). Sic eo quoque, unde exorsi sumus, loco aptissime dicuntur socii Romanorum tristi responso afflicti et quasi degravati onere nuntium domum reportasse, estque simillimus Vergili versus, Aen. II, 115: '*Ipse adytis haec tristia dicta reportat*' cf. Aen. VII, 167. Et ipse Livius XLV, 1, 10. ait: '*Magna pars hominum laetum nuntium portabant*'. Utcunque de hac re sentiet, id nemo negabit, abhorrere ab omni verisimilitudine librarium quemquam pro usitato illo quod est '*referre nuntium*' arbitratu suo substituisse reportandi vocabulum, quod longe rarius est et exquisitius; contra facile fieri potuit ut Nicomachi illi, cum Livii libros recognoscerent, locutionem hanc '*reportare nuntium*' tamquam poeticam et insolitam Livio mutandam esse censerent.

III, 7, 7. *Inopsque senatus auxilii humani ad deos populum ac vota vertit, iussos cum coniugibus ac liberis supplicatum ire.*

Sic haec conformavit liber Veronensis. Etsi assentior Mommseno p. 183. ea quae deinceps sequuntur in Veronensi deformata esse, tamen haec duo enuntiata interposito participio in unum coartata mihi videntur prorsus ex more Livii esse, qui, sententias comprehensione devinciendi ut qui maxime studiosus, non ita sermonem incidere soleret, qualem Nicomachiani libri exhibent: '*Senatus ad deos populum ac vota vertit: iussi cum coniugibus ac liberis supplicatum ire*' (cf. I, 22, 6: '*res repetitum se venisse, ni reddantur bellum indicere iussos*. III, 28, 9:

ab consule ad dictatorem ire iussis ignominiam incensus addidit). Ceterum eiusmodi synesin, qualis in his inest: '*populum vertit iussos*', ab usu Liviano non abhorrere apparet ex I, 41, 1: *concursus populi mirantium.* XXVII, 1, 12: *Pars in fugam effusi, pars in medio caesi.*

III, 8, 6. *Agmen fefellit supra montes Praenestinos ductum, inde [de]missum in campos.*

'*Demissum*', quod omnes editiones ex coniectura receperunt, quia unum verum est (cf. IX, 2, 9. XXI, 34, 8. VII, 34, 3), cum codices manuscripti omnes exhibeant '*dimissum*', id librarius Veronensis libri videtur in archetypo suo legisse, cum pro '*inde demissum*' omissa altera syllaba *de* transcriberet '*indemissum*'. Ceterum idem habet codex Harleianus primus.

III, 8, 7. *Q. Fabius praefectus erat urbis: armata iuventute — tuta omnia fecit.*

Sic Veronensis; reliqui codices haec habent: '*Q. Fabius prae erat urbi;, is* etc. Sed quae Livius III, 8. sq. narrat, gesta sunt anno 292. a. u., cum Romae, quia nondum erant alii magistratus cum imperio, etiamtum moris erat, ut consules priusquam abirent ab urbe praefectum urbis dicerent, qui ius redderet ac subitis mederetur *) (cf. Tacitus annal. VI, 11. Becker antiquit. Rom. II, 2, 146). Qui magistratus in tempus delectus neque ab aliis solet neque a Livio alio nomine nisi praefecti urbis appellari (I, 60, 4. 59, 12. III, 3, 6. 9, 6. 24, 2. 29, 4). Ubi vero inde ab anno 310. a. u. tribuni militum consulari potestate, primo tres, post plures, creari coepti sunt, tum ex his unus ad curam urbis relinquebatur, qui etsi nonnunquam antiquo appellabatur nomine (IV, 36, 5), hanc urbanam provinciam propter magistratus sui honorem nactus ab ea non iustam muneris sui appellationem trahebat, sed praeesse modo urbi dicebatur (IV, 31, 2. 45, 8). Neque is ad quem post annum 387. a. u. restituto in pristinum locum consulatu, cura urbis rediit, ob id

---

*) Cf. Mommsen: röm. Staatsrecht I, p. 166 ff.

praefectus urbi dicebatur, sed praeerat urbi praetoris urbani nomine*) (XXIV, 9, 5). Quae cum ita sint, cum nostro loco praefectus urbis memoretur a consulibus dictus, codicum Nicomachianorum scripturam non pro vera rectaque habeo, sed malim ita scribere: '*Q. Fabius praefectus erat urbis; is* et q. seq., inserto in textum Veronensis vocabulo '*is*', quod in ceteris Nicomachianae recensionis libris recte revocatum a Parisini prima manu item facillimo errore omittitur, semel posita syllaba '*is*', quae bis poni debuit.

III, 13, 3. *Nec sibi exequi rem tam atrocem per consules superiorum annorum licuisse* Veronensis.

Videtur hoc ordine verborum intendi magis vox exequendi, quam si cum Nicomachianis libris legamus: '*nec sibi rem exequi tam atrocem*' etc. Neque enim in atrocitate sceleris versatur vis huius enuntiati, sed id Volscius dicit, cur non iam antea reum iudicio persecutus sit. Est autem res notissima, poni verbum aliquod ponderis cuiusdam gravioris causa in principe loco enuntiati.

III, 14, 3. *Iuniores, id maxime quod Caesonis sodalicium erat, auxere iras in plebem.*

Sic Veronensis; reliqui libri habent: '*sodalium*'. Atque reperiri apud Livium saepius genitivum aptum ex neutro pronominis relativi nemo ibit infitias; est autem res ita comparata, ut semper in universi generis vocabulo aliqua partiendi subiecta notio sit, velut I, 8, 4: '*magis quam ad id quod tum hominum erat*', IX, 39, 11: *caesum in acie quod roboris fuit*, (XXI. 46, 5. 55, 2.) Hoc vero loco partitio non potest cogitari, quia non pars sodalium Caesonis, sed omnes memorantur; itaque '*quod sodalium erat*' idem est atque '*qui sodalium numero erant*'. Sed mirum est Livium cum iuniores dixisset dein mutato genere addidisse '*id quod Caesonis sodalium erat*', ac

---

*) Cf. Mommsen a. a. O. p. 168, 170.

non '*ii maxime qui — sodalium erant*', quemadmodum simillimo loco XLII, 61, 10. ait: *Et pedites aliena gloria accensi, praecipue qui Macedonum phalangis erant, optabant*'. Contra omnis et neutro genere positi pronominis et genitivi evanescit difficultas, si cum Veronensi legimus: '*id quod sodalicium erat*', unde quam paulum deflexerit Nicomachianorum librorum scriptura facile apparet.

III, 19, 1. '*Pace parta instare tum tribuni patribus*'. Veronensis.

Hunc locum quia Mommsenus p. 185 sq. in ordinem a se propositum non recepit, satis sit hic monuisse, hoc quoque loco Veronensis lectionem ab illo probari. Namque pag. 185. not. 1. ideo dicit sequendum esse Veronensem, quod Vormatiensis (praeter codicem St. Marci, qui minoris momenti est) et quodammodo etiam Parisinus cum eo stent; est autem in Parisino: '*parte pace*'.

III, 19, 1. *Instare tum tribuni patribus, ut Valeri fidem exsolverent, instare Claudio.*

Quod in reliquis libris ante Valeri nomen additur '*Publi*' cognomen Veronensis videtur recte omisisse, quia si *P. Valerius* diceretur, *C.* etiam *Claudium* appellari par erat, sicut infra §. 7 et §. 8. scribitur.

III, 19, 9. *Scilicet si quis vobis humillimus homo de vestra plebe domum suam oppressam a familia armata nuntiaret, ferendum auxilium putaretis: Iuppiter Optimus Maximus, exulum atque servorum saeptus armis, nulla ope humana dignus erat?*

Oppressam Veronensis, cum ceteri libri exhibeant '*obsessam*'. Verum videtur esse in libro Veronensi. Apparet enim a familia, quae constat ex omnibus hominibus, servis praecipue, qui in aliqua domo sunt (cf. Beckeri ant. Rom. II, 1, 64. not. 134.), hanc domum non obsessum, sed quoniam libere in eam commeant, subito oppressum iri. At enim humillimus homo de plebe vix unum vel duos servos habebat, non familiam. Sed consulto L. Quin-

ctius Cincinnatus, quem Livius contionantem facit, in hoc concludendi genere cum a minore ad maius procedit, illum hominem, quem Jovi Optimo Maximo opposuit, ut clarissime demonstraret, quam prave atque inepte tribuni facerent, quantum potuit vilissimum humillimumque dixit. Itaque mihi in hac oratoria dicendi figura non inepte videtur familia tribui vel humillimo homini de plebe. Atque omnino quid est, cur de familia armata Livius loqueretur, si non eius diceret familiam, cuius domus in periculo esset? Alioqui longe clarius fuit memorare vel '*manum armatam*' vel '*praedonum turbam*'. Neque enim cuiquam facile in mentem veniet, quoniam ei opponuntur '*exules ac servi*', alienam intelligere familiam, ac non illius domus dominique, cui ipsa insidietur. Accedit quod etiam in enuntiato insequenti huic opposito, ut augeatur indignitas rei, de Capitolio sermo est temploque Jovis a servis potissimum occupato, non de obsesso. — Post reliqui libri exhibent: '*nulla humana ope dignus erat*', Veronensis: '*nulla ope humana*'. Quem usitatiorem verborum ordinem cum Livius fere semper observet (cf. I, 16, 7: *nullas opes humanas*, III, 7, 7. V, 16, 8. VII, 30, 3), idem deserit interdum acuendae oppositionis verborum causa, velut V, 32, 7: *neque deorum modo monita spreta — sed humanam quoque opem amovere*, XXI, 40, 11, sive ut chiasmum qui vocatur efficiat, quem in deliciis habuit, velut VII, 2, 3: '*cum vis morbi nec humanis consiliis nec ope divina levaretur*' (v. quae dixi ad III, 24, 4). Quorum neutrum in hunc locum cadit, cum nihil aliud nisi de humana ope dicatur, et oppositionis vis ac pondus positum sit in verbo quod est '*nulla*'.

III, 24, 4. *Multis enim emanabat indiciis neque fratrem Volsci ex quo semel fuerit aeger, umquam non modo in publico visum, sed ne adsurrexisse quidem ex morbo.*

Sic Veronensis, cum in reliquis hic sit ordo verborum: '*non modo visum in publico*'. Sed res ipsa et sententia loci his

verbis '*in publico*' priorem locum vindicant. Namque id ipsum refert, in publico non visum esse fratrem Volsci, cum is testis exstitisset illum in Subura violatum a Caesone interfectumque esse (cf. cap. 13, 2.); itemque paullo post §. 5. dicitur: '*nec Caesonem Romae visum*', quia tunc '*ad signa*' fuerit. Ceterum hic quoque subesse chiasmus quidam videtur sic dispositus:

non modo in publico visum
sed ne adsurrexisse quidem ex morbo.

Utitur autem saepissime Livius chiasmi figura et in verbis et in enuntiatis collocandis ad augendam oppositionum vim ac perspicuitatem (cf. Kühnast. synt. Liv. p. 326.). Ex innumeris exemplis chiasmi satis erit pauca attulisse libri tertii cap. 5, 8. 10. 9, 11. 10, 12. 11, 7. 27, 6. 38, 11. 41, 8. 52, 8. 54, 3. 63, 9. 72, 2. Huic autem loco, de quo agimus, simillime collocata verba sunt I, 32, 2: '*Omnia ea — pontificem in album relata proponere in publico iubet*'.

III, 26, 10. *Qua simul — velatus processit, dictatorem eum legati consalutant, in urbem vocant, qui terror sit in exercitu ei exponunt.*

Sic scribendum censeo secundum vestigia libri Veronensis, in quo ita scriptum est: '*in exercitui*'. Neque enim hic Livii mos est, ut pronomen demonstrativum ante alio casu cum alio verbo coniunctum post in alio verbo audiatur; verum iteratur pronomen, velut VIII, 12, 1: '*cui venienti seniores obviam exisse constat, iuventutem — aversatam eum execratamque.* VIII, 38, 15: *Caede inermes cruentamque illis praedam redde.*

III, 29, 6. *Eodem die L. Mamilio Tusculano civitas data.*

Omitti in Veronensi '*est*', quod in reliquis exstat, adnotavit Mommsenus p. 187, insuper allatis III, 31, 1. *laboratum*, III, 65, 4. *inditum cognomen.* Atque copulas quidem quae vocantur, vel 'est' vel 'sunt', a Livio saepenumero omitti recte monuit Kühnastius synt. Liv. p. 276. Videtur autem haec

ellipsis copulae haud raro fluxisse e concisa quadam brevitate annalium, unde Livius quae pro rebus gestis narravit, antiquioribus saltem temporibus, prope omnia petivit*). Quamobrem cum illae voculae '*est*' vel '*sunt*' fere semper omittantur, ubi simpliciter indicantur res aliquo anno sive gestae sive institutae (cf. I, 33, 2. 9. 43, 5. 6. IX, 45, 18), tum haec ellipsis videtur paene sollemnis esse, cum memoratur vel singulis vel populis data civitas (cf. II, 5, 9. 16, 5. VIII, 14, 2. 17, 12. IX, 43, 24).

III, 29, 6. *Volscius damnatus Lanuvium exilium abiit.* Sic libri Nicomachiani (praeter Harleianum I.) adstipulante Veronensi: editiones omnes '*in*' praepositionem inseruerunt. Contra Mommsenus p. 180: 'fortasse ferendum erit', inquit, 'quod legitur '*Lanuvium exilium abiit*' omissa praepositione' (cf. etiam Alschefskium ad l.). Et videndum est, num necesse sit ut recedamus a librorum consensu. Potest enim Livius secutus esse similitudinem eius usus, quo nominibus urbium, quae tum, cum quis eo cogitare vel intendere iter dicitur, accusativo casu ponuntur, interdum adduntur voces quae sunt 'urbs', 'oppidum' aliae sine praepositione (cf. III, 1, 5. XXI, 22, 5. 25, 13. XXXI, 45, 12. XLIV, 32, 3). Itaque si ita scripsit Livius '*Lanuvium exilium abiit*', *exilium* appositionis loco est et perinde intelligendum, quasi dixisset exilii locum vel urbem. Contra ubi nomini civitatis vel gentis praepositio additur, idem non licet, itaque Livius ait III, 13, 8: *In Tuscos in exilium abiit*, nec minus adest praepositio, si simpliciter dicitur '*in exilium abire*'

---

*) Asperum illud atque ieiunum narrandi genus Nitzschius (die römische Annalistik Berl. 1873. p. 156. ff.) vetustissimorum illud quidem annalium proprium esse, sed nonnumquam etiam ad annalium scriptores posteriores aetate velut ad Licinium Macrum permanasse, inde in Livii quoque libros irrepsisse dicit. Atque ex eo genere haec affert exempla: II, 19, 2. 21, 2. 33, 4. 40, 14. 41, 1. III, 31, 1. (cf. etiam ibid. p. 197 sq.).

(III. 50, 11. V, 32, 9.): tum enim non id agitur, in quem quis locum, sed quam ad rem abeat, id quod etiam in eo inest, quod item saepe apud Livium invenitur, '*exulatum abire*' (II, 35, 6. III, 58, 10. VII, 1, 9. XXVI, 3, 12).

III, 38, 4. *Addidit terrorem insuper alium fortuna: Aequi ex alia parte castra in Algido locant.*

Verum videtur quod Veronensis et Leidensis habent '*addidit*', cum Mediceus et Parisinus exhibeant '*addit*'. Videmus enim in omnibus enuntiatis huius capitis, quae quidem aliquid momenti habeant ad rerum narrationem promovendam, usurpari perfectum (§. 3: *Sabini incursionem — fecere*; §. 4: *non nuntii solum, sed — agrestium fuga trepidationem iniecit*; §. 6: *is pavor perculit decemviros*). Contra in ea parte orationis, qua res enarrantur accuratiusque expositae legenti quasi sub oculos subiciuntur, praesenti tempore Livius utitur (§. 3: *castra locant*; §. 4: *decemviri consultant*; §. 5: *Aequi castra locant*). — Quamobrem cum inter illa, ut ita dicam, capita narrationis sine dubio referendum sit id enuntiatum, de quo agimus: in hac librorum auctoritate paene pari utique restituendum puto perfectum (cf. III, 63, 4).

III, 44, 4. *Hanc virginem adultam — Appius amore amens — perlicere adortus — ad crudelem superbamque vim animum convertit.*

Hanc Veronensis scripturam, adstipulante Parisino et quodammodo etiam Mediceo (*amore ardens mens*) satis tutam, Mommsenus probavit p. 177, idemque et solo Parisino auctore Madvigius censuit (Emend. Liv. p. 20. not.), et veteres editores Livii, Gronovius et Drakenborchius. Eo magis mirum est nostrae aetatis editores, Weissenbornium et Hertzium, scripsisse '*amore ardens*', adductos fortasse alio loco I, 58, 2, ubi in simili ceteroquin re Livius ait '*amore ardens*'. Sed docemur ipsius Livii verbis (cap. 47, 4. 48, 1) hoc loco nihil aliud dici posse nisi amentiam amoris, quoniam id ipsum, quod ad

crudelem superbamque vim Appius animum convertit, initium amentiae erat, quae postea demum pateret in exequendo nefando illo consilio.

III, 51, 10. ***Porta Collina urbem intravere sub signis, mediaque urbe ingenti agmine in Aventinum pergunt.*** Haec ita scripta exstare in Veronensi libro Mommsenus ait p. 183., cum Nicomachiani exhibeant: *urbe agmine.* 'Scilicet grammaticus, inquit, non intellexit vim orationis non in numero plebeiorum niti, sed in ordinatione militari'. Sed vereor ne erraverit. Legitur enim in Veronensi, quia principia versuum huius paginae mutila sunt, nihil amplius quam | | | *enti agmine*, vacuo relicto trium literarum spatio. Atque si pro '*ingenti*', quod Mommsenus pro certo posuit, inseruerimus '*silenti*', sententia illa, quam Mommsenus iure postulavit, optime exprimitur. At enim potest omnino videri supervacaneum esse quidquam addi ad ablativum '*agmine*', cum is saepius ita usurpetur a Livio, nullo addito aut adiectivo aut participio, ut sit idem fere quod '*agmine facto*' (cf. I, 6, 2. III, 18, 4. XXII, 30, 1. XXIV, 30, 3.), cui contrarium est '*laxum atque solutum agmen*' (XXII, 50, 9). Atque sic etiam paullo ante de altero exercitu a Verginio in decemviros irritato dicitur cap. 50, 13: ***Eunt agmine ad urbem et Aventinum insidunt.*** Sed illic necesse erat addi '*agmine*' eos ivisse, ut intelligeretur totum exercitum uno impetu consensuque urbem petiisse; hic idem apparet ex iis quae praecedunt: '*porta Collina urbem intravere sub signis*', ita ut nulla plane sit causa, cur repetatur eos, qui sub signis urbem intravere, etiam agmine incessisse. Contra si legimus '*silenti agmine*', id aptissime opponitur iis quae cap. 50, 13. de altero illo exercitu narrantur: '***Eunt agmine ad urbem et Aventinum insidunt, ut quisque occurrerat, plebem ad repetendam libertatem creandosque tribunos plebis adhortantes.***' Consulto Livius ab illis voluit habitum et speciem huius exercitus abhorrere, ut qui ab Icilio, 'viro

tribunicio et perito rerum popularium' (cf. §. 9. cap. 44, 3.), duceretur. Ceterum '*silenti agmine*' legitur XXV, 38, 16. XXXI, 38, 10. XXXV, 4, 4. XXIII, 35, 17.

III, 61, 4. *Huius pugnae fama perlata non in urbem modo sed in Sabinos ad alterum exercitum, in urbe laetitia celebrata est, in castris animos militum ad aemulandum decus accendit.*

Sic Veronensis, cum reliqui libri post *laetitia* inserant '*modo*'. Sin ita legitur, videtur concinnitas sententiae postulare, ut in altera parte enuntiati augendi vis, in priore per particulam '*modo*' denotata, aliquo modo exprimatur hoc fere modo: *in castris animos militum etiam ad aemulandum decus accendit* (cf. V, 51, 2: '*aliis turpe, Camillo etiam nefas est*'). Sed cum sit notissimum Latinis saepenumero contextum orationis satis fecisse, ubi nos, quae Germanorum est loquendi consuetudo, particulam 'modo' vel similem quandam desideramus: tum Livius, cum per asyndeta oratio procedit, talibus particulis non solet uti. Itaque I, 17, 1. ait (Hertz): *necdum ad singulos certamen pervenerat: factionibus inter ordines certabatur*', non: '*factionibus modo*'*;* X, 5, 13: *pax negata, indutiae biennii datae*, non '*indutiae modo*'; X, 35, 7: *nunc pudore a fuga contineri, alioqui pro victis esse.* Admodum autem similis locus est V, 7, 4: *quod ubi Romam est nuntiatum, maestitiam omnibus, senatui curam metumque iniecit.* — Quamquam hac defensione carere possumus, siquidem mihi non talis videtur sententia loci esse, qualis particula 'modo' sive addita sive audita efficitur. Verum hoc Livius dicit, famam victoriae in urbem pariter atque in castra perlatam disparem movisse affectum animorum, illic laetitiam, hic invidiam atque aemulationem. Milites enim nuntiata alterius exercitus victoria non laetos fuisse docemur insequentis capitis initio cap. 62, 1: *ad id quod sua sponte satis collectum animorum erat, indignitate etiam Romani accendebantur* et q. seq., et §. 2: *ubi haec*

fremere militem sensit. Ceterum nihil mirum est, '*modo*' male additum esse propter id quod antecedit *non modo*'.

III, 61, 13. *Quid latrocinii modo procursantes pauci recursantespue tererent tempus.*

'*Recursantesque*' Veronensis liber, '*recurrentesque*' Mediceus et Parisinus; rectius sine dubio illud, quia vix credibile est Livium, qui verba frequentativa praecipue in prima decade in deliciis haberet (cf. Kühnast. synt. Liv. p. 343. Wölfflin Liv. Kritik p. 29, Antiochus von Syrakus u. Coelius Antipater. Winterthur 1872. p. 86.) '*procursantes*' dixisse et deinceps '*recurrentesque*'.

III, 62, 6. *Alterum* (exercitum) *nova nuper victoria elatum.*

Haec est collocatio verborum in libro Veronensi, cum reliqui sic exhibeant: '*nuper nova victoria elatum*'. Sed minime abhorret a consuetudine Latinorum haec Graeci sermonis imitatio, ut inter adiectivum et substantivum pro altero adiectivo interponatur adverbium (Nägelsbach lat. Stilistik p. 202.) Atque apud Livium quidem plurima eiusmodi inveniuntur exempla (cf. Kühnast synt. Liv. p. 52. sq.), ex quibus pauca afferre libet haec: II, 23, 8: *multis passim agminibus*, III, 63, 5: *duobus bifariam proeliis*, IV, 7, 2: *tot simul bella*, VIII, 1, 9: *suos semper hostes*, III, 66, 2: *novis semper certaminibus*, XXI, 31, 11: *pluribus simul alveis.* Contra si legimus: '*nuper nova victoria elatum*', ne sententia quidem salva est, quoniam exercitus non nuper dicitur, sed tum maxime elatus esse.

III, 63, 4. *Ibi non sociorum — res, sed suas Romanus — recepit* Veronensis, libri reliqui '*recipit*'. Malim perfectum; hoc enim toto capite proelium pugnantiumque concursus et certamen describuntur vel praesenti historico (§. 2: *recipit — transvolat — facit*, §. 4: *evertunt — relinquunt.*), vel infinitivo historico (§. 3: *providere — laudare — increpare*), vel imper-

fecto (§. 3: *edebant — excitabant*); contra ubi Livius aut de suo aliquid addit aut indicat quid quoque loco consilio sive virium contentione effectum sit, utitur perfecto tempore (§. 2: *enituit*, 4: *potuit*) (v. ad III, 38, 4). Itaque haud scio an Livius confecto proelio quid Romanis victoribus emolumenti fuerit, perfecto tempore narraverit scripseritque '*recepit*'.

III, 63, 11. ***In eandem sententiam multa et a ceteris senioribus patrum cum essent dicta.***

Sic scriptum est in libro Veronensi, idemque inesse in codice Harleiano I. Weissenbornius adnotavit inter discrepantiam scripturae praemissam primo volumini editionis Teubnerianae. Reliqui Nicomachiani libri omittunt praepositionem '*a*'. Atque omnino crediderim dativum iunctum passivo verbo apud Livium artioribus circumscribendum finibus esse quam Kühnastio visum est (synt. Liv. p. 139.), meritoque Drakenborchium reprehendi a Madvigio (Emend. Liv. p. 589. not.), quod hunc dativum nimis leviter et sine discrimine finxerit. Certe quidem quae huius rei exempla Drakenborchius (ad VI, 11, 4.) ex prima decade Livii attulit, omnia aut hodie propter meliorum codicum auctoritatem mutata aut non recte intellecta a Drakenborchio et falso huc relata sunt. Sed in posteriore parte operis sui Livius Graecorum morem imitatus, ut liberius hoc dativo usus sit — id quod et ipsum accuratius inquirendum erit, — in prima decade haec licentia non probanda esse videtur, ideoque ego cum libro Veronensi legendum puto: *multa et a ceteris — cum essent dicta.*

III, 64, 2. ***Consensum patrum causabantur, quo per contumeliam consulum iura tribunorum plebis labefactatum essent.***

Sic Veronensis; reliqui meliores libri: *iura plebis labefacta essent.* Ac primum quidem rectius fortasse hic quoque

tribuni plebis memorantur, cum et §. 3. (*novi tribuni*) de iis mentio fiat, et cap. 63,10 oratio Claudii in tribunorum potissimum arrogantiam invehatur. Deinde multo gravior sermonis sententiaeque offensio tollitur hac Veronensis scriptura: *labefactatum essent.* Liberatur enim Livius vocabulo *labefaciendi*, poetis tantum et posterioribus aetate scriptoribus usitato. *Consensus* vero *patrum*, *quo per contumeliam consulum iura tribunorum plebis labefacta essent*, nihil potest aliud esse nisi consensus patrum dissuadentium rogationem a tribunis latam ad populum de triumpho consulum a senatu iis negato (cf. cap. 63,8 et 11.) Hac inani renitentium patrum vociferatione num revera labefactata erant iura aut plebis aut tribunorum plebis, qui rogationem suam pertulissent? Nempe conati erant patres, quantum in ipsis erat, impedire quod tribuni tulissent, tamquam contra morem et leges fieret: sed pervicerant tribuni. Recte igitur tribuni consensum patrum causabantur, quippe qui omnes summa ope adnisi essent, ut per contumeliam consulum tribunorum legem ferentium iura imminuerent, recteque haec quoque se habent: *quid futurum*, — *si novos tribunos per factionis suae consules adorti essent*; etsi enim tum contra consules tribunosque coniunctos nihil profecerant patres, periculum erat, ne iis resisti non posset, si consulum opibus contra alios tribunos adiuvarentur. Atque haec sententia, quae sola huic loco apta est, efficitur levissima mutatione scribendo *labefactatum issent* pro *labefactatum essent.* Ita autem usurpari a Livio supinum prius quod vocatur, ut ex eo pendeat accusativus obiecti, exemplis probari potest (cf. I, 22, 6. 11, 6. II, 6, 3. XXI, 41, 13. XXXII, 22, 6. XXXIX, 10, 4. Kühnast. synt. Liv. p. 259.)

III, 67, 3. *Ergo — capi me Roma consule potuit?*

Sic Veronensis, cum in libris Nicomachianis legatur: *capi Roma me consule potuit.* Verum haud scio an recensionis

Nicomachianae auctores hoc loco Livium emendare voluerint, cuius ingenium interdum non abhorruisse a mira quadam implicatione verborum nescirent (cf. praef. 5: *dum prisca tota illa mente repeto.* I, 15, 4: *persecutus fusos ad moenia hostes.* II, 7, 11: *ut vos supra suspectum me civem habitetis.* III, 64, 1: *quo sua minus cupiditas emineret.* VI, 25, 11: *omnia constanti tranquilla pace.*) cf. etiam Kühnast. synt. Liv. p. 312 sqq. Nec desunt exempla, ubi ablativi absoluti qui vocantur interpositis aliis vocabulis dirimantur (cf. IV, 44, 10: *causa ipse pro se dicta*, XXI, 8, 2: *Vix accipientibus — opera locis.* XXXVIII, 47, 7: *accusantibus meis ipse legatis dico.* XLV, 10, 2: *dimissis et ipse navibus pergit.*) Hac alterna collocandorum verborum vice offensi Nicomachiani hoc loco simpliciorem ordinem suopte ingenio videntur restituisse.

IV, 7, 4. *Legati ab Ardea Romam venerunt.* — Sic ego scribendum esse puto propter consensum libri Veronensis cum Leidensi, cum solus Mediceus lectionem ab editoribus receptam exhibeat *ab Ardeatibus*, in Parisino vero scriptum sit *ab Ardeat.* Neque consuetudini sermonis Liviani non congruere puto, ut diceret *legati ab Ardea veniunt.* Gentis enim vocabulum usurpavit, ubi urbis alicuius vel civitatis nomen in usu non esset, velut V, 23, 12: *legati a Volscis et Aequis veniunt*; sin per consuetudinem sermonis licebat, Livius urbis nomine usus est (cf. IV, 9, 1: *legati ab Ardea veniunt.* IV, 45, 5: *legati ab Tusculo venerunt.* XXI, 9, 3: *ab Roma legatos venisse.*) Ceterum Livius his verbis: *legati ab Ardea* significare videtur legatos Ardeatium, non legatos qui Ardea venirent; sumpsitque hoc ex more Graecorum, ut *homines ab Ardea* diceret homines Ardea oriundos (cf. XXI, 7, 2. I, 50, 3 et quae Weissenbornius ad eum locum attulit.) Itaque equidem Livium puto scripsisse: *legati ab Ardea venerunt.*

IV, 11, 1. *Consules creantur M. Fabius Vibulanus* etc. Veronensis.

Nicomachiani: *creant.* Sed neque praecedit subiectum, ad quod referatur *creant*, — caput 10. enim exit his verbis: *tribunorum militarium nulla mentio — fuit* — et solet Livius magistratus novos creatos passivis verbis memorare (cf. II, 34, 1. 15, 1. III, 6, 1. IV, 54, 1. V, 31, 2. VI, 11, 10.)

IV, 13, 12. *Adprobantibus cunctis Quinctius primo abnuere, quid sibi vellent rogitare, — dein* et q. seq.

Sic Veronensis; *primo Quinctius abnuere et — rogitare* Nicomachiani. Aptius videtur quod Veronensis exhibet, cum plane Liviano more opposita (*cuncti — Quinctius*) iuxta ponantur et acuantur chiasmo (v. ad III, 24, 4.) In enumerationibus autem per adverbia *primo — deinde* factis Livius illud solet postponere subiecto (cf. II, 2, 8. 23, 6. 45, 3. 54, 8. VII, 39, 2. X, 29, 8. 34, 5.) — Atque infinitivi etiam historici (*abnuere — rogitare*) in Veronensi nulla coniunctione iuncti defendi possunt, quia tali asyndeto haud raro Livius ita usus est, ut significaret rem rei quasi instare et una re vixdum confecta iam alteram consequi (cf. II, 3, 6. 6, 1. 45, 3. 5. IV, 31, 4. 37, 10. 11. 60, 6.)

IV, 22, 2. *Eo dictator agmine infesto subiit* Veronensis, *subit* Nicomachiani. Sine dubio praestat perfectum propter perfecta quae sequuntur: *fudit — compulit.*

IV, 22, 4. Q. Servilius dictator cum vi capere Fidenas non posset ad dolum confugit et

> *in locis propter propinquitatem notis ab adversa parte desuper maxime neglecta, quia suapte natura tutissima erat, agere in arcem cuniculum instituit.*

Sic haec conformanda videntur secundum librum Veronensem. Ac primum quidem quod in omnibus codicibus est *ab adversa*

2*

parte editores uno consensu mutarunt in *ab aversa parte*, credo quia sic vel magis sibi intellegere visi sunt, cur illa pars ab oppidanis neglecta esset, et quia remotissimum quemque locum dictatori ad clandestinum consilium commodissimum fuisse rebantur. At non desunt argumenta ex ipsa oratione petita, quibus efficiatur Livium scripsisse '*ab adversa parte*', non '*ab aversa.* Neque enim dictator Romanus, ut ab sensu operis ab aversa parte urbis instituti hostes averteret (§. 5.), aliunde urbem aggressurus erat, quam a parte ab ipso insidiarum operisque loco remotissima, id est ab ipsis castris Romanis; quod si fecisset, sine dubio Livius hoc clarius indicasset quam his verbis (§. 5.): '*ipse diversissimis locis subeundo*' etc, neque haec mihi omnino recte se habere videntur, nisi de novo insolitoque loco aggrediendi dicuntur. Accedit quod §. 6. haec leguntur: '*donec perfosso a castris monte erecta in arcem via est*', quae non possunt non dicta esse de cuniculo a castris Romanis in arcem Fidenatium acto. Quae omnia si perpenderis, dubium non fore spero, quin codicum scriptura ('*ab adversa parte*) iure retineatur. — Iam vero in libro Veronensi his verbis: '*ab adversa parte*') exit versus, et in insequenti, qui ut omnes eiusdem paginae versus in principio mutilus est, post quattuor fere literarum spatium sequi videtur litera *P*, deinde certae literae *ER*; quod ego vestigium secutus supplevi versum vocabulo '*desuper*'. In libris Nicomachianis ita scriptum est: *ab adversa parte urbis maxime neglecta*'. Sed illud '*desuper*' non ad urbem pertinet, sed ad arcem, quam in edito loco sitam ideo suapte natura tutissimam fuisse hic iam significari malim quam ex eo demum colligi, quod infra dicitur §. 6: '*perfosso a castris monte*'. Itaque mihi quidem quod Nicomachiani libri exhibent '*urbis*' videtur additamentum esse cuiusdam, qui ut haec verba '*ab adversa parte*' explicaret, adscripsit vocabulum

'*urbis*' quod postmodo pro vera lectione '*desuper*' a Nicomachis in textum receptum est.

IV, 22, 6. ***Donec perfosso a castris monte erecta in arcem via est, intentisque Etruscis ad vineas ac certo periculo minas clamor — captam urbem ostendit.***

Sic Veronensis, nisi quod in eo non legitur '*ac certo periculo minas*', sed '*ad certo periculo*'; sed has vooulas *ac* et *ad* a librariis facile commutari apparet ex III, 42, 7, ubi Nicomachiani exhibent: *arma ad supplementum*, cum in Veronensi rectius sine dubio legatur '*arma ac supplementum*' In libris Nicomachianis haec extat huius loci species: '*intentisque Etruscis ad vanas a certo periculo minas*', variaque ab editoribus his verbis adhibita sunt interpretandi artificia (cf. Weissenbornium ad l.), sed, ut mihi quidem videtur, nulla ex parte satis probabilia. Neque enim durioris huius verborum conformationis: '*intendi ad vanas a certo periculo minas*' alterum extat apud Livium exemplum, neque *vanis minis* recte opponitur *certum periculum*, id quod hoc loco nihil aliud esse potest nisi periculum Fidenatibus etiamtum ignotum, sed imminens a Romanis per cuniculum in arcem erectis. Quid autem aliud significat *certum periculum* quam periculum haud dubium ac manifestum? Itaque Livius si dicere voluisset Fidenates vana oppugnationis specie aversos fuisse a sensu maioris periculi, quod ipsos illo temporis momento falleret — aliud autem scribere non potuit, quia hoc absurdum est dicere, quemquam vanas minas potius quam periculum manifestum prohibendas duxisse — tum in hac re sine dubio '*verum*' periculum, non '*certum*' nominaturus fuit (cf. X, 14, 18: *verus metus.*) At si cum libro Veronensi legerimus: '*intentisque Etruscis ad vineas ac certo periculo minas*, illae offensiones omnes evanescunt. Vinearum autem creberrima mentio est in oppugnandarum urbium apparatu (II, 17, 1. V, 5, 6. X, 34, 1. XXI, 7, 10.); deinde '*certo periculo minae*' dicuntur minae a Ro-

manis per simulationem iusti impetus ostentatae, quae Fidenatibus, quibus verum afferre periculum viderentur, etiam pro certo periculo essent. Unum restat, quod aliquem offendere possit, rariorem dico hanc constructionem '*certo periculo minae*', quae sunt minae certum periculum minantes. Et paullo inusitatior sane hic ablativus qualitatis est, adiectivi loco iunctus substantivo; tamen simile aliquid invenitur XXI, 62, 5: *hominum specie procul candida veste visi* cf. I, 45, 4. XXI, 22, 5. XXIV, 36, 7. XXXII, 12, 10. Ceterum hoc, de quo agimus, loco ablativus qui est '*certo periculo*' mihi quasi medius esse videtur inter ablativum qualitatis et absolutum ablativum, ut etiam sic liceat circumscribere: '*ubi certum erat periculum*'. Perinde usurpantur ablativi absoluti VII, 9, 7. XXI, 25, 9. 13.

IV, 24, 6. *Ut re ipsa, inquit, sciatis, Quirites, mihi diuturna non placere imperia.*

Hanc Veronensis scripturam videri primitivam esse recte monuit Mommsenus p. 178, idque colligere licet ex iis quae codex Mediceus, qui duplicem scripturam in unum confudit, exhibet: '*quam mihi diuturna non placeant re imperia.*'

IV, 26, 4. *Ibique seorsum Aequi Volsci castra communi vere* Veronensis. Haec ita auxerunt Nicomachiani libri: '*seorsum Aequi seorsum Volsci*', cum inani molestaque repetitione vocis '*seorsum*'. Ego Livium arbitror, ut XXII, 52, 3 dixit: '*seorsum cives sociique*', sic hoc quoque loco scripsisse '*seorsum Aequi Volscique*', postea autem voculam '*que*', saepe hac nota *q.* scriptam ante *c* literam insequentem iam in archetypo excidisse, praesertim cum in versu praecedenti scriptum esset '*ibique*'.

IV, 26, 6. *Ante omnia pravitas consulum discordiaeque inter ipsos et certamina in consiliis omnibus terrebant.*

Sic Veronensis, cum libri Nicomachiani '*discordiaque*' exhibeant

singulari numero. Et videtur Livius ita disposuisse orationem, ut primum pravitatem consulum tamquam universam rem notaret, deinde eam discordiarum certaminumque certis exemplis definiret. Haec autem ratio et distributio confirmatur etiam particulis '*que — et*', quibus in oratione ut ita dicam tripartita haud raro Livius ita utitur, ut alterum et tertium verbum, per particulam *et* vel *ac* artius inter se coniuncta, ambo adnectantur primo per particulam '*que*' (cf. I, 7, 10. 9, 9. 10, 1. 19, 1. II, 40, 4. V, 42, 4. 51, 8. 10. 49, 3. VII, 11, 6; v. etiam quae dixi ad V, 41, 2.) Quod Kühnastius synt. Liv. p. 287 monuit quidem, sed non satis dilucide exposuit. — Quodsi ea ratio intercedit inter haec duo, '*discordia inter ipsos et certamina in consiliis omnibus*', mihi quidem dubium non est, quin Livius utrumque vocabulum plurali numero usurpaverit, ex more illo Latinorum per pluralem numerum pro universo genere substituendi propria rerum exempla. Ceterum illorum consulum in singulis rebus discordiae memorantur etiam §. 7: '*ad alia discordes*'.

IV. 27. 2. *Dictator praeeunte A. Cornelio pontifice maximo ludos magnos tumultus causa vovit profectusque ab urbe est. Diviso cum Quinctio consule exercitu ad hostes pervenit: sicut bina castra hostium parvo inter se spatio distantia viderent, ipsi quoque — dictator Tusculo, consul Lanuvio propiorem locum castris ceperunt.*

Sic haec constituenda videntur secundum librum Veronensem. Libri Nicomachiani primum omisso verbo substantivo '*est*', quod in Veronensi participio quod est '*profectusque*' additur, in unum conflarunt duo enuntiata, quae in Veronensi recte disiunguntur. Ita enim narrantur '*omnia celeritate ingenti acta*', ut priore commate memorentur, quae in urbe dictator ad belli tumultum providerit, priusquam ipse ad bellum proficisceretur; altero idem dictator iam extra urbem dicatur ad rem gerendam

se contulisse castraque prope hostem cepisse. Sic mihi tractus ille orationis lenis et aequabilis oriri videtur, quo praeter ceteros historicos Romanos Livius excellit, qui non soleret diversas res una eademque sententia comprehendere, sed ita dividere rerum orationisque continuationem, ut semper quodammodo aptae inter se essent et convenientes. — Iam altera inest in codicum Nicomachianorum scriptura offensio, qui pro ***viderent*** plusquamperfectum ***viderant*** exhibent. Apparet agi de ratione capiendorum castrorum, quae non in unum collata a duobus exercitibus, sed bipartito ponerentur: nec vero unquam aut apud optimos scriptores aut apud Livium '***sicut***' invenitur pro temporali coniunctione eodem sensu quo '***ut***' vel '***ubi***'. Itaque '***sicut***' adverbium est similitudinis, idque ita dictum, ut non ei respondeat '***ita***' vel simile quid, quemadmodum invenitur etiam XXIV, 3, 13 (cf. quae Weissenbornius ad eum locum collegit.) Quis vero unquam ita locutus est: '***consules sicut bina castra hostium viderant, ipsi quoque locum castris ceperunt***, nisi ut hoc significaret, consules qualia aliquanto ante hostium castra vidissent, talia postea ipsos posuisse? Atqui ita se res habet, ut non ad exemplum castrorum, quae ante vidissent, sed ut in ipso conspectu hostium castrisque eorum sub oculis positis duces Romani sua castra communirent. Itaque Livius si duas res, quae simul fierent, alteram plusquamperfecto alteram perfecto tempore narrasset, abhorreret plane a Romanorum more, quippe qui temporum rationes ac discrimina, quae nos remissius observamus, diligentissime attenderent. Non mihi igitur errare videor contendendo scripturam libri Veronensis veram esse, (praeterquam quod creberrimo errore singularis ***videret*** extat pro plurali), Liviumque ita scripsisse: ***sicut bina castra hostium viderent, ipsi quoque — ceperunt.*** Coniunctivo autem tamquam ex ipsorum, dictatoris et consulis, animis atque cogitationibus declaratur, quare hanc potissimum formam castrorum eligerent; similem coniunctivum legimus III, 11, 3: '***quemad-***

modum se tribuni gessissent, sic patres — gerebant'. (cf. XXII, 27, 10.). Est autem hic coniunctivus fere eiusdem generis atque ille coniunctivus obliquus verbi dicendi vel sentiendi positus pro coniunctivo alterius verbi ex illo apti, qualem Livius habet VI, 2, 9: *quod — crederent.* XXI, 1, 3. (cf. Kühnast synt. Liv. p. 232. not. 142.)

IV, 33, 10. *Cum duae acies — circumventos Etruscos et a fronte et ab tergo urgerent, neque in castra retro neque in montes, unde se novus hostis obiecerat, iter fugae esset.* et q. seq.

Hanc Parisini Leidensisque scripturam confirmat liber Veronensis, et sic iam Drakenborchius scripsit. Cur recentiores editores, Weissenbornius et Hertzius, maluerint cum solo Mediceo libro sic scribere '*inde se novus hostis obiecerat*', et haec verba in parenthesi ponere, equidem non intellego.

Atque idem dicendum est de IV, 34, 3, ubi item Weissenbornius et Hertzius Medicei lectionem: '*urbs castra diripiuntur*', receperunt, cum Drakenborchius scripsisset: '*urbs castraque diripiuntur*, secutus reliquorum codicum consensum, quibus iam accedit Veronensis (cf. IX, 39, 11: '*castra capta direptaque*').

IV, 35, 4. *Spectaculum comitate etiam hospitium, ad quam publico consensu venerant, advenis gratius fuit.*

Sic haec leguntur in libris Nicomachianis melioribus, Parisino et Leidensi, atque in codice Florentino St. Marci; iisque adstipulatur liber Veronensis, nisi quod, non integra pagina, haec exhibet: *advenis ad* |||||||||| *fuit.* Sed cum sentirent non latine dici' *ad comitatem venire*', multi homines docti huius loci emendationem varie tentarunt; neque quisquam eorum rem omni dubitatione exemit et ad liquidum perduxit. Mihi tamquam ansam ad restituendum locum praebere videtur alius locus IX, 7, 7 (*publica auctoritate consensum in omnem formam luctus est*), de quo Madvigius Emend. Liv. p. 33: cum pro

consensum', inquit, 'alicubi scriptum esset consensu, hinc in Sigonii codice, Palat. 2, Oxon. Hearnii, Harl. 2, Gaertn., Haverc., fragm. Haverc. (2 man.) natum est: '***auctoritate consensuve in omnem formam luctus populus versus est***'. Pari modo in hunc locum corruptelam irrepsisse arbitror. Nam cum in codice archetypo sic scriptum esset:

PUBLICE CONSENSŨERAT,

qui inde descripserunt Livii libros neglecta compendii nota ∾ bifariam Livii verba revocabant. Alii illud '***consensu***' rati ablativo casu dictum esse, ei accommodabant '***publice***' mutatum in '***publico***, deinde (plane eodem modo, quo IX, 7, 7. in deterioribus codicibus propter sententiam haec inserta sunt: '***populus versus est***') verbum quod fuit '***erat***' non nimis violenter in '***venerant***' immutabant, ut haberent unde apta essent ea quae praecedunt: '***ad quam***'. Atque haec quidem satis vetusta corruptela est, quia et in libris Nicomachianae recensionis inest et in Veronensi libro, qui non ex eodem archetypo fluxerunt (cf. Mommsen p. 176.). Alii autem pro eo quod in archetypo suo inveniebant: '***publice consensũ erat***' scribebant, quod facillime occurreret, '***publice consenserant***'. Quae emendatio cum fortasse ab aliquo lectore in eo libro, qui sic exhiberet '***publico consensu venerant***', superscripta esset, post in exemplari inde descripto duplex illa lectio ita coaluit, ut pro hac specie '***consenserant publico consensu***', quia librarius offendebat in consentiendi voce bis posita, ita scriberetur '***consenserant consilio publico***'. Utraque autem lectio hodie extat in codice Mediceo, qui eas iuxta posuit hoc modo: '***ad quam consenserant consilio publico consensu venerant***'. Itaque, ut explicatis codicum corruptelis quales et quomodo ortae sint redeam unde exorsus eram, mihi videtur Livius scripsisse: '***comitate etiam hospitium, ad quam publice consensum erat***', idque confirmatur et his locis IX, 7, 7. XXVI, 36, 10. et V, 53, 8: '***exulatum publice ire***', ubi '***publice***' per-

inde dicitur eodem sensu quo '*publico consensu*' sive '*toto populo*' (cf. Drakenb. ad IV, 13, 8). — Ceterum in Nicomachianorum librorum lectione: ***Spectaculnm comitate etiam hospitium — advenis gratius fuit***, insolenter certe collocata est particula '***etiam***'. Scilicet si haec esset sententia, spectaculum per se gratum gratius fuisse comitate hospitum, fieri non posset, quin comparativo adiceretur augendi particula '***etiam***', quae perperam in libris post ***comitatis*** vocem ponitur. Atqui longius in libro Veronensi spatium supra descripsi, in quo, mutilo versu suppleto, sic scriptum fuisse puto: '***spectaculum comitate etiam hospitium —-advenis admodum gratum fuit***', ita ut et rationi et orationi pariter consulatur.

IV, 56, 1. ***Eventu comitiorum patres vicere.***
Hanc Parisini et Leidensis scripturam a Drakenborchio et post eum a Madvigio probatam confirmat liber Veronensis: Weissenbornius contra et Hertzius solo Mediceo auctore scripserunt '***evicere***'. Et ego vix crediderim Livium simpliciter dixisse ***evincere***, nullo addito aut obiecto aut enuntiato ex illo verbo apto.

V, 3, 4. ***Nullis iniuriis vestris, si quae forte aliquando fuerunt.*** Veronensis liber facit cum Parisino et Leidensi, quorum lectionem iam praetulerat Drakenborchius. Mirum est, quod recentiores editores omnes, duplicem Medicei scripturam, '***inciderunt fuerunt***', secuti ita scripserunt: '***si quae forte inciderunt***'.

V, 3, 5. ***Quid illos aliud aut tum timuisse creditis aut hodie turbare velle nisi concordiam ordinum, [quae iis] dissolvendae maxime tribuniciae potestatis videretur esse***'.

Sic fortasse constituendus hic locus est: Veronensis exhibet ***potestatis viderentur esse*** pro eo quod in reliquis libris inest ***potestati (potestatis*** Paris. m. 1.) ***rentur esse.*** Veronensis scriptura cum

vel per se ipsa specie tralaticiam lectionem corruptelae convincat, tum propterea videtur praestare, quia ratio causalis, qua haec sententia relativa ex praecedenti nexa est, coniunctivum postulat. Imperfecti autem conjunctivus respondet infinitivo perfecti '*timuisse*', cum liceret sane scribere *videatur*, ita ut referretur ad infinitivum praesentis qui praecedit '*turbare velle*'. Qui in aliis libris extat accusativus '*quam*', is orta semel corruptela accommodatus est ad verbum '*rentur*'; in Veronensis versu in initio nihil legi potest, sin ita scripseris: '*quam*', sive '*quae dissolvendae*' et q. s., brevior solito versus evadit, quamobrem in mentem mihi venit conicere hic inserendum esse vocabulum '*iis*'.

V, 5, 7. *Loquor de operae* (*opere* Nicom., *opera* Veron.) *et de temporis iactura.*

Sic utique scribendum puto et miror, quod nondum quisquam in hanc emendationem incidit, quae ut facillima ita certissima est. Quod et libri Nicomachiani exhibent et vulgo scribitur: '*opere*', propter vulgarem in codicibus manuscriptis inter '*ae*' et '*e*' confusionem et '*opere*' legi potest et '*operae*'. Atque alterum quidem confirmatur libro Veronensi, in quo scriptum est '*opera*', illud videtur ne ferri quidem posse. Nam si de vallo fossaque et alio oppugnandarum urbium apparatu loqueretur, sine dubio Livius *opera* nominasset plurali numero; sed ut dixerit *opus* singulari numero, quid tandem haec: '*loquor de opere et de temporis iactura*' aliud sibi volunt nisi: '*loquor de opere perdito* (sive *irrito) et de temporis iactura?* Quod vix credibile est subobscure Livium dixisse, cum licuerit rem clarissime significare ita: '*loquor de operis et de temporis iactura*', vel potius sic, quemadmodum §. 11. scripsit: '*loquor de operum — iactura.*' Quae omnia qui perpenderit, non poterit non concedere verisimilius multo faciliusque videri ita scribere: *Loquor de operae et de temporis iactura.*

V, 7, 12. *Senatus consultum factum est, ut tribuni militares equitibus peditibusque gratias agerent.*

Sic Veronensis, '*peditibus equitibusque*' Nicomachiani. Quemadmodum in vulgus notum est posterioribus reipublicae Romanae temporibus illustrem fuisse insignemque ante alios ordinem equestrem, sic Livius etiam antiquiore aetate equites semper dignitate atque honore praestantes facit (I, 43, 8. III, 61, 7.) eosque vel '*proceres iuventutis* (II, 20, 1. X, 28, 7.) vel *primores populi* appellat (VII, 8, 1.) Ubicunque igitur Livius militarem iuventutem Romanam totam complexus equites discernit ab iis qui pedibus stipendia facerent, semper potiorem honore ordinem priore loco nominat, ut haec sit paene legitima consecutio verborum '*equites peditesque* (I, 44, 1: *omnes cives Romani*, *equites peditesque*, cf. VIII, 39, 8. 'XXII, 39, 5); idemque ordinum discrimen etiam in aliis gentibus statuit (XXI, 4, 8. 40, 2. 10. XXVII, 8, 15.). Omninoque Livius dignitatis gradus scribendo significare solet, quo in genere haec afferri possunt: '*patribus equitibusque* I, 35, 8. *populus plebsque* XXV, 12, 10. XXIX, 27, 2. *cives sociique* XXI, 5, 5. XXII, 11, 2. 52, 3; neque huc non referenda est sollemnis haec apud Livium locutio: '*equi virique*' (V, 37, 5. XXI, 27, 1. *equites virique*, ib. §. 5. XXII, 52, 5. XXIII, 5, 6 cf. Kühnast synt. Liv. p. 305.). — At non desunt exempla in Livii libris, ubi contra evenit, sed ea, quae quidem ego norim, omnia plane diversi generis. Etenim quod legitur II, 19, 3: '*cum magnis copiis peditum equitumque*', ibi non de duobus ordinibus honore inter se differentibus agitur, sed de militibus diversae armaturae ad usum belli in legiones distributis, in quibus cum multo maior esset peditum numerus quam equitum, nihil mirum est et prorsus ex nostro more maiorem exercitus partem minori praeponi (cf. Wölfflin: Antiochus v. Syrakus u. Coel. Antip. p. 82. extr.) (cf. XXIII, 5, 6: *legiones equitatus*). Idemque dicendum est de his locis V, 34, 5. IX, 19, 15. 27, 10. X, 46, 3. XXI, 17, 3. 5. 22, 3. 23, 1. 38, 2. 40, 7. 52, 5. 54, 5. XXII, 28, 7. 36, 1. 3. 40, 6. XXIII, 25, 5. XXVI, 13, 10. XXVII, 40, 14.

Quodsi Livius X, 36, 12 ait: '*omnes adnisi duces milites, peditum equitumque vis*', id non repugnat normae a nobis propositae, quoniam saepissime Livius per chiasmum verba disponendo elegantiam quandam affectavit. — Itaque mihi quidem dubium non est, quin hoc loco sequendus sit liber Veronensis, scribendumque: '*ut trib. mil. equitibus peditibusque gratias agerent*'. Nam praeterquam quod praecipua laude equites vel ideo digni erant, quia priores voluntariam operam rei publicae extra ordinem polliciti erant, deinde hoc exemplum plebs secuta erat (§§. 5—7.), ipse Livius supra §. 10. hunc ordinem observat his verbis: '*laudare equites, laudare plebem*'.

V, 9, 1. *Novos tribunos militum creandos esse, qui Kal. Octob. magistratum occiperent.*

Hanc scripturam a Drakenborchio probatam restituendam puto, quia ad Leidensis auctoritatem contra Parisini Mediceique consensum satis infirmam accedit liber Veronensis, qui item ante *Kal. Oct.* praepositionem '*a*' omittit remotam e textu etiam a Madvigio, qui recte contulit §. 8. et cap. 11, 11 (praef. ad edit. p. XXV.). Neque ego memini in terminanda die, qua quid actum sit, Livium unquam usurpare praepositionem '*a*'.

V, 23, 12. *Impetrataque pax, magis ut fessa tam diutino bello acquiesceret civitas, quam quod digni peterent.*

Sic Nicomachiani; in Veronensi libro mutilo versus fine legitur, '*impetrataque pax magis UERC ...... diutino bello*', vacuo relicto sex vel octo literarum spatio. Ac facillime quidem in mentem venit scriptum fuisse: '*magis vero ut fessa diutino bello*' etc. Sed obstat, quod in hac locutione '*magis quia (ut) — quam quod*' Livius adversativam particulam '*vero*' non solet usurpare. (cf. II, 13, 3. III, 8, 7. IX, 9, 3.). Quare nescio an aliud aliquid excidisse putandum sit, quod quale fuerit, fortasse inde colligere licet, quod Romani, qui mente atque cogitatione ea volverent, quae his verbis dicuntur:

'*magis ut* et q. s., neque diserte antea memorantur nec designantur omnino. Nam si ea quae praecedunt activo verbo enuntiamus sic: '*impetrarunt pacem*', simul audiendi subiecti loco sunt *legati Volscorum et Aequorum*, non *Romani;* quod aliter eveniret, si verbi causa scriptum esset: '*dataque pax*'. Quae offensio mutati subito — ut cum grammaticis loquar-subiecti logici, evanescit, ubi secundum Veronensis vestigia statueris Livium ita scripsisse: '*Impetrataque pax*, *magis verentibus*, *ut diutino bello acquiesceret civitas*' et q. s., id est, verentibus Romanis, ne propter diuturnum bellum cum Volscis et Aequis gerendum non acquiesceret civitas. Eiusmodi autem ablativi absoluti nullo addito subiecto inveniuntur apud Livium IV, 60, 1. XLII, 16, 7. cf. Kühnast p. 269. Neque tamen hanc coniecturam nixam Veronensi libro in textum recipere velim.

V, 28, 4. *Qui legatorum nomen donumque*, *ut deum cui mitteretur et doni causam cognovit*, *veritus ipse multitudinem quoque religionis iustae implevit.*

Sic Veronensis, nisi quod pro eo, quod ego dedi '*ut*, exhibet '*et*'. In libris Nicomachianis deest '*cognovit*'. In his igitur Timasitheus, summus magistratus piratarum Liparensium, dicitur, exceptis devectisque Liparas legatis Romanorum, qui crateram auream donum Apollini Delphos ferrent, veritus esse legatorum nomen donumque et deum cui mitteretur et doni causam. Quid tandem erat, quod princeps piratarum, qui latrocinio viverent, ullum vereretur donum, nisi ob id, quod deo votum sacrumque esset? Tum igitur Livius bis idem diceret, si scripsisset donum et doni causam veritum esse Timasitheum. Nec vero credibile est tantam fuisse in piratis verecundiam legatorum nominis, nisi religio accessisset deorum, quae ut sanctos eos violari vetaret, quos Graeci θεωροὺς appellabant; redundanter igitur Livius diceret Timasitheum et legatorum nomen, ut qui ad Apollinem mitterentur, veritum esse et deum ipsum, ad quem legati irent. Contra dilucida

quaedam elegantia sermonis Liviani efficitur, ubi sic legeris: *qui legatorum nomen donumque, ut deum cui mitteretur et doni causam cognovit, veritus* et q. seq. Ita enim apparet, quare Timasitheus legatorum nomen donumque veritus sit, quoniam ante cognoverat, quo et qua de causa mitterentur. Quodsi in Veronensi quoque pro '*ut*' scriptum est '*et*', id, cum per se levissima corruptela sit, tum a librario sententiae incurioso, qui vel ad eas particulas '*que — et*', quae iuxta positae sunt, attenderet, vel in indicativo verbi, '*cognovit*', cum coniunctione ‚*ut*' iuncto haereret, facillime videtur mutari potuisse. Ceterum huic loco simillima conformatio est sententiarum I, 7, 9: '*Euander — excitus, postquam facinus facinorisque causam audivit, habitum viri — intuens rogitat*'.

V, 30, 8. *Senatus consultum factum est, ut agri Veientani septena iugera dividerentur, nec patribus familiis tantum, sed ut omnium in domus liberorum capitum ratio haberetur, vellentque in eam spem liberos tollere.*

‚*In domus*' Veronensis, ‚*in domo*' Nicomachiani. Sed cum patres familiae nominentur plurali numero, mirum est '*domum*' dici singulari numero, non *domus*. Itaque rectissime Veronensis exhibet '*in domus*', id est '*in singulas domus*'. Sic enim saepenumero et ab aliis et a Livio usurpatur '*in*' praepositio in enumerando, quibus singulis aliquid sive aliqua pars tribuatur (*in singulos* XXXII, 23, 9. 37, 12. XLII, 4, 5. *in capita* II, 33, 11. XXXII, 17, 2. XXXIV, 46, 3. 50, 6. *in militem* XXII, 23, 6.) '*Domus*' autem et omnino usitata forma est accusativi pluralis et apud Livium legitur VI, 36, 12. — Iam quod in Veronensi scriptum est '*patribus familiis*', fieri potest, ut a librario quodam pro antiquiore forma '*patribus familias*' propter inscientiam substitutum sit. Unde quis suspicari etiam possit Livium subinde usum esse antiquiore illa forma, quae hodie apud eum nusquam invenitur (cf. Kühnast s. L. p. 23),

cum Cicero eam fere semper usurpaverit. Neque veri dissimile est hanc constantem consuetudinem sermonis Liviani deberi posterioris aetatis recensionibus.

V, 32, 3. '*Fusa primo concursu acies*' Veronensis, reliqui libri: '*concursu primo*'. Sed illa est solita Livio verborum consecutio. cf. I, 25, 4. II, 25, 4. III, 4, 7. 61, 8. VI, 24, 1. VIII, 38, 10. X, 27, 11; Neque huc non pertinent I, 10, 4. 11, 2. II, 11, 1. 65, 1. XXII, 28, 9.

V, 33, 7. *Etruscorum ante Romanum imperium late terra marique opes patuere.*

'*Etruscorum*' nomen in Veronensi libro aptius est, quam '*Tuscorum*' in Nicomachianis. Quid enim, si hic Livius Etruscorum gentem '*Tuscos*' nominasset, paullo post opus erat dicere eos vicinum mare Tuscum vocare '*communi vocabulo gentis*'? Quod recte tum modo huc additur, si non iam ante Livius eodem nomine usus erat.

V, 41, 2. Narratur Romae post cladem Alliensem, militari iuventute concedente in Capitolium, seniorum turba remansisse in urbe et obstinato ad mortem animo Gallorum adventum exspectasse.

'*Qui eorum curules gesserant magistratus, ut in fortunae pristinae honorumque ac virtutis insignibus morerentur, quae augustissima vestis est tensas ducentibus triumphantibusve, ea vestiti medio aedium consedere.*'

Sic Veronensis, melius sine dubio quam Nicomachiani, qui sic exhibent: '*honorumque aut virtutis insignibus*'. Absurdum videlicet et abhorrens est in tali temporis momento discerni per particulam ,*aut*' honorum et virtutis insignia, praesertim cum Romanis antiquioribus dumtaxat temporibus honores virtutis praemium esse atque haec duo necessitatis quodam vinculo inter se coniuncta viderentur. (cf. VI, 11, 3: *eximius simul honoribus atque virtutibus*, IX, 4, 7: *princeps virtute*

atque honoribus). Et erat eadem vestis magistratuum, picta toga ac tunica palmata, sive triumphum agentium sive ludis pompam ducentium in circum, id quod etiam ex ipsius Livii verbis apparet: '*quae augustissima vestis est tensas ducentibus triumphantibusve*'. Ceterum haec tria: '*fortunae pristinae*, *honorumque ac virtutis (insignia)*' eo modo inter se connexa sunt, de quo dixi ad IV, 26, 6. Atque hic quidem mos Livii ita coniungendi notiones per particulas '*que — ac*', ut prima explicetur definiaturque altera et tertia, ipse quoque incurrit, ut Livium credamus ita scripsisse: '*ut in fortunae pristinae honorumque ac virtutis insignibus morerentur.*'

V, 41, 5. Galli ubi urbem ingressi sunt '*dilapsi ad praedam — pars in proxima quaeque tectorum agmine ruunt*, *pars ultima — petunt.*'

Ubi *agmine ruunt* exhibent libri Nicomachiani, longius est in Veronensi spatium a Mommseno sic descriptum: *A* . . . . . . *EN* . . *RUUÑ*. Quodsi quis rem accuratius inspexerit, eum non fugiet pugnare inter se haec, quod Galli, modo ad praedam dilapsi, agmine ruere in tecta narrantur; et mirum profecto, cum alii Gallorum (§. 6.) primo vagi, post demum propter metum solitudinis conglobati in forum redirent, hanc partem ordines servasse et composito agmine — id enim significatur hoc ablativo '*agmine*' v. ad III, 51, 10. — iam initium fecisse praedandi. Accedit quod vocabulo '*agmine*' spatium libri Veronensis non impletur. Secundum eius igitur vestigia fortasse scribendum erit *A[DITUPAT]EÑ[IA] ruunt*', quod aeque versui ac sententiae satisfacit. Namque et aviditati Gallorum, ipso ruendi vocabulo significatae, et timori, ne qua fraus hostilis subesset, optime congruit, ut primo facillimam praedam petentes omniaque clausa ut infesta atque suspecta veriti, aperta maxime aedificia invaserint. De usu autem supini alterius quod vocatur cf. Kühnastium synt. L. p. 261 et I, 33, 7, ubi '*planiora aditu loca*' memorantur.

V, 45, I. (Signo) *dato primo silentio noctis ad portas Camillo praesto fuere.*

Sic Veronensis et Harleianus I, '*primae silentio noctis*' reliqui Nicomachiani. Iidem libri VII, 12, 1 exibent: '*primo silentio noctis;* quare quamquam similes locos alios non novi, tamen adducor, ut Veronensis scripturam hoc quoque loco recipiendam censeam. Silentium autem noctis Livius saepius memorat (cf. VII, 39, 14. X, 12, 6. *silentio noctis* II, 7, 2. *per silentium noctis* III, 42, 3. *nocte silentio* IX, 38, 14.).

V, 45. 3. *Extremos tamen pavor cubilibus suis excitos — in hostem ipsum tulit Veronensis.*

Est hic locus ex numero eorum, qui sola codicum auctoritate disceptari possunt. Veronensis enim adstipulatur libris Parisino Leidensique: Mediceus solus addit praepositionem '*ex*' ante '*cubilibus*' eumque secutae sunt editiones recentiores. Nec vero desunt exempla, quibus doceamur Livium exciendi verbum iunxisse et cum praepositione '*ex*' (cf. IV, 27, 6. VIII, 11, 9. 37, 6.) et cum solo ablativo (cf. I, 7, 6. V, 8, 7. XXXII, 13, 6.) Nulla igitur causa est, cur nostro loco adversantibus codicibus plurimis inseramus praepositionem.

V, 45, 7. *Vix temperavere animis quin extemplo impetum facerent; compressi a Q. Caedicio centurione — rem in noctem sustinuere.*

Sic Veronensis, confirmans emendationem dudum a Madvigio (Emend. Liv. p. 125.) propositam, cum in variis Nicomachianorum corruptelis reliquae editiones exhibeant: '*compressique a Caedicio*'.

V, 50, 7. *Matronis gratiae actae, honosque additus, ut* etc.

Hic rursus Veronensis liber, accedens Parisino ac Leidensi, Weissenbornium et Hertzium erroris convincit, qui ex codice Mediceo in textum receperunt '*additur*', spreta reliquorum

scriptura '*additur*' a Drakenborchio, Alschefskio, post eos a Madvigio in editione sua probata.

V, 50, 1. *Adeo mihi acerbae sunt, Quirites, [hae] contentiones cum tribunis plebis.*

He, quod omittunt reliqui, Veronensis, fortasse recte; est enim notissimus hic usus pronominis demonstrativi, eique fere haec subiecta vis est: '*tantae nostra aetate tamque acsiduae contentiones* (cf. Nägelsbach lat. Stilistik p. 255.) Prorsus simile est quod paullo post sequitur: '*his certaminibus*', nec temere videtur dictum esse '*ob eadem haec*'.

V, 51, 1. *Non si mille senatus consultis — revocaretis.* '*Senatus consultis*' perscriptum extat in libro Veronensi, cum Nicomachiani hoc compendio scripturae utantur: '*sics.* vel.*sic*'. Atque hic quidem locus videtur eximendus esse ex numero eorum, quibus grammatici rariorem illum genitivum '*senati*' Livio vindicari volunt. (cf. Kühnast synt. Liv. p. 30.)

V, 51, 4. Camillus dissuadens - Romanis, ne Veios commigrarent, haec ait:

Quid enim repetiimus (urbem), quid obsessam — eripuimus, si reciperatam ipsi [deinde] deserimus?

Sic fortasse emendanda est Veronensis scriptura '*obsidione deserimus*', cum in reliquis libris legatur '*ipsi deserimus*'. Namque illud '*ipsi*' necessarium est, quia id maxime agit Camillus, ut Romanos dicat a nemine coactos sua sponte urbem vix recuperatum deserere velle, videturque subesse priori parti eius vocabuli, quod Veronensis exhibet: '*obsi dioni*'. Quod ita arbitror ortum esse ex eo quod ego proposui, '*ipsi deinde*', ut omissa primo syllaba '*de*', qua etiam insequens vocabulum '*deserimus*' incipit, ex eo quod tum superesset *IPSIDEIN* librarii alicuius temeritate, qui respiceret ea quae praecedunt '*obsessam eripuimus*', fieret: '*reciperatam obsidione*'. Nec raro apud Livium evenit, ut quemadmodum a Graecis εἶτα dicitur, '*deinde*' vel '*inde*' vel '*tum*' inter participium aliquod et ver-

bum finitum interposita quasi redundare videantur (*deinde* III, 5, 8. XXI, 50, 9. *inde* V, 39, 10. XXII, 30, 1. *tum demum* V, 50, 8. Kühnast p. 270.). Hoc vero loco *deinde* dictum est non sine pondere quodam oratorio repetendi comprehendendique causa ea quae praecesserant, hac fere subiecta sententia: '*tot tantisque exhaustis in recuperanda urbe laboribus* (*ipsi eam deserimus*). Ceterum '*ipse deinde*' invenitur etiam IV, 34, 5: *Exercitum dictator Romam reducit iussoque magistro equitum abdicare se magistratu, ipse deinde abdicat.*

V, 51, 4. *Si nobis cum urbe simul conditae traditaeque per manus religiones nullae essent.*

Sine dubio Veronensis haec lectio praestat Nicomachianis, qui pro '*conditae*' exhibent '*positae*'. Neque enim memini unquam me apud Livium legisse '*ponere religiones*', neque si ita legimus '*si cum urbe simul conditae — religiones nullae essent*', necesse est statui zeugmatis figuram, quoniam '*poni*' urbs dici nequit, '*condi*' potest. Accedit, quod condendi voce Livius quasi pro sollemni utitur cum in quolibet more vel lege tum in sacris instituendis caerimoniisque deorum. (*condere lustrum* I, 44, 2. X, 9, 14. *c. opus* (i. e. *templum Jovis*) I, 55, 3. *c. aram* I, 7, 11. *c. collegium* ('*ludorum faciendorum causa*') V, 52, 11. *c. iura* III, 33, 5.)

V, 52, 17. Ubi Camillus primam orationis suae partem absolvit exposuitque Romanos religione vetari commigrare Veios, in libro Veronensi insunt haec, quae in reliquis libris non extant:

'*At enim apparet, [Quirites, inde misceri omnia] nec ullis piaculis expiari posse*'.

Sic enim ea supplenda esse puto, cum in ipso libro pro certo nihil legi possit nisi *QUIDEMI;* deinde, ut ait Mommsenus p. 142, 'vestigia incerta adsunt literarum, fortasse *MU*', et post spatium quattuor fere literarum in principio insequentis versus *NIA.* Ac primum quidem, quia praecedit '*at enim*', '*quidem*

ferri non potest videturque simili ortum esse corruptela atque V, 3, 2. in Veronensi '*qui*', in reliquis vel '*quin*' vel '*quis*', ubi editores dudum recte restituerunt '*Quirites*'. Quae vox cum hac nota *Q.* scripta esset, librarii coniunctis literis *QINDEM* facillimo errore legerunt '*quidem*'. Post quin scriptum fuerit '*omnia*' propter servatas extremas huius vocabuli literas *NIA* vix dubitari poterit; quod vero ante *omnia* inserui '*misceri*', id quamquam praeter literam *M* omnia incerta sunt, certe probabile esse spero. Namque et miscere subiecta confundendi sententia usitatum est (cf. IV, 3, 6: *terras ac caelum miscere*, I, 29, 2: *omnia ferro flammaque miscere*), et '*inde*' recte dicitur de cultu deorum populique sede Veios transferendis, a quo quasi capite ac fonte Camillus temeritatem omnia divina humanaque turbandi profluxuram dicit (I, 4, 7. 32, 2. II, 1, 7.) Ceterum nos facilius pateremur, si ita Livius dixisset: '*apparet hoc modo* (vel *ita*) *misceri omnia*', quia id interest inter nostrum et Latinorum morem, ut illi dicant, unde quid efficiatur, nos ubi fiat. — Denique '*at enim*' semper et per ellipsin dicitur et sermonem inceptum abrumpentis est; plerumque tamen usurpatur in occupatione quae vocatur, cum praecipiendo refellitur quod quis contra dicere possit (cf. IV, 4, 1. VI, 15, 11. XXI, 18, 9. 40, 8.). Neque vero non ita ponitur '*at enim*', ut novi quidem nihil afferat, sed cum dictorum brevissima repetitione ad alia dumtaxat orationem deducat. (III, 19, 11. 68, 3.); itaque hoc loco '*at enim*' nihil offensionis habet. — Restat ut disceptetur, utrum ea, quae modo singula persecuti sumus, pro veris retinenda sint an ut aliena et adulterina delenda videantur. Atque interpolationum quidem prorsus nulla vestigia extant in libro Veronensi, cuius librarius interdum omisit potius prava aliorum librorum additamenta (velut V, 3, 7: *nisi forte hoc dicitis*), quam nova finxit et addidit. At Mommsenus p. 184 dicit, 'haec verba videri adiecta esse a rhetore quodam,

ut partes orationis facilius distinguerentur: nihil enim hoc quidem loco desiderari, nec causam apparere, propter quam librarius haec omittere potuerit'. A quo ego hoc quidem loco non possum non dissentire. Neque enim id, quod Mommsenus extremum posuit, satis mihi videtur valere, ut scripturam optimi libri Veronensis ut adulterinam in dubium vocare liceat; nec video, quid hoc oratorium transitionis genus: *at enim apparet* et q. seq. offensionis habeat, cum in hac tota Camilli oratione manifestum sit Livium quodvis oratorii ornamenti genus sectatum esse. Scilicet eodem iure multa alia in hac oratione ut rhetorum commenta in suspicionem venire possunt, velut c. 51, 3. 52, 8. 53, 9. concludendi genera a minore ad maius sive a maiore ad minus, anteoccupationis (52, 5.) et praeteritionis figurae (52, 7.), transitionum diversa genera (52, 8. 53, 3. 52, 13.).

VI, 1, 8. *Interregnum initum: P. Cornelius Scipio interrex, post eum M. Furius Camillus.*

Sic Veronensis omissa particula '*et*', quam reliqui libri inter interregum nomina inseruerunt. Sed praeterquam quod notiosimum est magistratuum nomina non solere particulis inter se coniungi (Kühnast p. 286.), asyndeton hoc loco etiam usus Liviani commendationem habet. (cf. X, 11, 10. XXII, 34, 1.).

VI, 2, 11. Camillus dictator adversus Volscos dictus tantum iis terrorem intulerat, ut vallo se ipsi, vallum congestis arboribus saepirent. Sed Camillus igni in obiectam saepem coniecto

> '*ita consternavit hostes, ut minor moles superantibus vallum militibus munitum in castra Volscorum Romanis fuerit, quam transcendentibus saepem incendio absumptam fuerat*'.

Sic haec leguntur in Veronensi, cum in reliquis libris haec omittantur '*militibus munitum*'. Atque id quidem apparet, Veronensis scripturam propter redundantiam orationis molestam